



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Pavli Diaconi De Gestis Romanorvm Liber Vndecimvs, Ad Evtropii
Historiam Additvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277



PAVLI DIACONI DE

GESTIS ROMANORVM LI
BER VNDECIMVS, AD
EVTROPII HISTO
RIAM ADDITVS.

VALENTINIANVS, ET VALENS AVGVS.



ANNO AB VRBE CONDITA M. C. XIX. Valen-
tinianus XXXVIII è Pannonia Cibaliensi æditus,
cum esset Tribunus Scutariorū, apud Niceam Au-
gustus appellatus, fratrem Valentem Constantino-
poli in cōmunionem regni assumpsit. Huius pater
Gratianus mediocri stirpe ortus, apud Cibalas Fu-
narius appellatus est, eo quod uenaliitiū funem por-
tanti, quinq; milites nequiverint extorquere. Eo me-
rito adscitus in militiam, usq; ad Præfec. prat. poten-
tiam conscendit, ob cuius apud milites cōmendationem, Valentiniano impe-
rium resistenti illatum est. Qui cum sub Iuliano Augusto Christianitatis inte-
gram fidem gereret: cum, ut dictum est, Scutariorū Tribunus esset, iussus ab im-
peratore sacrilego aut immolare idolis, aut militia excedere: spōte discessit. Nec
mora, Iuliano interfecto, Iouinianōq; mortuo, Valentinianus qui pro nomine
CHRISTI amiserat Tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium.
Qui cum iam anno tertio imperij cum Valente fratre ageret, Gratianū filium,
nec dum bene puberem, hortatu socrus & uxoris Augustū creauit. Eodē anno
apud Atrebatas uera lana de nubibus pluuiæ mixta defluxit. Cōstantinopoli
grando miræ magnitudinis decidens, nōnullos hominum extinxit. Procopius
apud Cōstātinopolim his diebus tyrannidē inuadens, apud Phrygiā salutarē
extinctus est: plurimiq; eius partis cæsi, atq; pscripti sunt. Per hæc tēpora terræ
motus p totū orbē factus est. Ita mare litus egressum est, ut Sicilia, multarūq;
insularum urbes concussa & subruta, innumerabiles fermē populos ruinis op-
presserūt. Valens interea ab Eudoxio Arrianae hæreseos episcopo baptizatus,
in sæuissimam hæresim delapsus est: conatusq; catholicos persequi, sed fratris
autoritate cōpressus est. Ea tempestate Athanaricus rex Gotthorū CHRISTI
ANOS in gente sua crudelissime persequitur, & ad coronā martyrij sublimauit.
Valentinianus

Valentinianus Saxones, gentem in Oceani litoribus, & paludibus inuis sitam, uirtute atq; agilitate terribile, in Romanos fines eruptione meditante, in Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoq; plus q̄ LXXX millia armatorum ripae Rheni fluminis infederant: qui tamen non multo post tempore CHRISTIANI effecti sunt. Valentinus inter haec in Britannia ante q̄ tyrannide inuaderet, oppressus est. Valentinianus anno imperij sui XI. cum Sarmatae sese per Pannonias diffudissent, eosq; uastaret, bellum in eos parans, dum apud Brigione oppidum, Quadorum legationi responderet, anno eius V & L. subita effusione sanguinis, quae Graece ἀπόπληξις uocatur, uoce amissa, sensu integer expirauit. quod quidem intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures detulerunt. Fuit autem imperator egregius, uultu decens, solerti ingenio, animo grauis, moribus Aureliano similis, sermone cultissimus: quantum esset ad loquendum parcus, seuerus, uehemens, infestus uitij, maxime auaritia. Seueritatem tamen eius nimiam & paritatem: quidam crudelitatem & auaritiam interpretabantur. Acer in ijs, quae memoraturus sum, Adrianusq; proximus probatur, pingere uenustissime pronus: multa meminisse, arma noua meditari: fingere cera seu limo simulacra, prudenter uti locis, temporibus, sermone. Atq; ut breuiter concludam, si ei infidis hominibus, quibus sese quasi fidissimis & prudentissimis dederat, carere, aut probatis uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset.

VALENS SOLVS.



ANNO ab urbe condita M. C. XXVIII. Valens XXXIX, imperium orientis IIII annis, Valentiniano mortuo tenuit: Gratiano Valentiniani filio in occidentali parte regnante, qui sibi Valentinianum fratrem paruulum admodum, socium creauit imperij. Hic enim Valentinianus dudum laudante uxore sua pulchritudine Iustinae, sibi eam sociauit in matrimonio: legesq; propter illam concessit: ut omnes qui uoluissent, impune bina matrimonia susciperent: Nam diu populosas fore gentes, quia hoc apud eas solenne est. Accepta ergo, ut diximus, Valentinianus Iustinae, adidit ex ipsa IIII filios: Valentinianum, quem sibi ut praemisimus, Gratianum sociauit in regno, & Gratianum, Iustanumq; & Gallam. Valens igitur impietate, quam dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data, ut monachi militarent: nolentes, per Tribunos & milites fustibus iussit interfici. Quorum innumeram multitudinem per uastas tunc Aegypti solitudines diffusam constat, praecipue quae apud Nitriam martyrii consecuta est palmam: ac per singulas ubiq; prouincias, aduersus catholicas ecclesias, & rectae fidei populos, diuersa sunt illata incommoda. Interea in Africa partibus, Thirmus sese excitationis Maurorum gentibus regem constituens, Africam, Mauritaniaq; uastauit. Contra quem Theodosius Theodosij, qui post imperio praefuit, pater, a Valentiniano missus, effusas Maurorum gentes, multis praелиjs fregit: Ipsum quoq; Thirmum afflictum & oppressum, ad mortem coegit. Qui postea q̄ experimentissima prouidentia Africam composuisset: stimulante inuidia iussus a Valente interfici, apud Carthaginem baptizari in remissionem peccatorum praoptauit: Ac demum gloriosa

Y 3 morte

morte occumbens, percussori iugulum ultro præbuit. Ea tempestate gens Hunnorum diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita, exarsit in Gothos, eosq; conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gotthi transito Danubio fugiētes, à Valente sine ulla scēderis pactione suscepti sunt. Deinde propter intolerabilem auaritiā Maximi ducis fame compulsi in arma surgētes, uicto Valentis exercitu, sese per Thracias infudere, omnia cædibus, incendijsq; uastātes. Quibus cognitis, Valens Antiochia egressus, cum aduersum Gotthos exercitū aptaret: sera peccati pœnitētia stimulatus, episcopos, cæterosq; sanctos reuocari de exilijs imperauit. Deniq; lachrymabili cum Gotthis bello cōmisso, ad primum Gotthorū impetum perturbatæ equitū Romanorū turmæ, nudatos pedes deseruere. Qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarū nubibus obruti: insuper cū amentes metu, huc, illucq; fugitarent, funditus interiēre. Ipse imperator cum sagitta saucius, uersusq; in fugā, ob dolorē nimium saepe equo laberetur, atq; in uilissimā casulam deportatus esset: superueniētibus Gotthis, igneq; supposito concrematus est. Deniq; petentibus Gotthis, ut eis episcopos mitteret, à quibus fidei rudimēta susciperent: Valens doctores ad eos Arriani dogmatis misit, sicq; uniuersa illa gēs effecta est Arriana. Iusto itaq; dei iudicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Gotthi uero imperatore occiso, iam securi ad urbem properant Constantinopolitanā, ubi adhuc Dominica Augusta Valentis uxor multas pecunias plebi largita, ab urbis uastatione hostes submouit, regnūq; cognatis fideliter uiriliterq; seruauit.

G R A T I A N V S.



ANNO ab urbe condita M. C. XXXII. Gratianus XL ab Augusto, post mortem Valentis VI annis imperiū tenuit, quibus iam dudum ante cū patruo Valente, & cum Valentiniano fratre regnaret. Igitur Gratianus admodum iuuenis, cum in aestimabilem multitudinē hostium, Romanis infusam finibus cerneret: fretus CHRISTI potentia, longe impari militum numero sese in hostem dedit. Et cōtinuo apud Argentariā oppidum Galliarū, formidolosissimū bellū incredibili felicitate cōfecit. Nam plus q̄ XXX. M. Alemanorum, minimo Romanorū detrimento, in prælio interfecta narrātur. hoc deniq; ei recta fidei cultura tribuit. Nam cū usq; ad id tempus Italia Arrianae perfidiæ morbo langueret: post Auxentij seram mortē, cum Ambrosius ex pagano iudice, subito apud Mediolanū diuino nutu episcopus fuisset ex cunctis electus: moxq; catholico baptisate tinctus, præsul esset ordinatus: cūq; p̄ fide catholica libros Gratiano imperatori porrexisset: ac reuerentia, qua debuerat, susceptus esset: uniuersa statim ad rectam fidē Italia repullulauit. Eo tēpore in Gallijs apud Turonos, multis beatissimus Martinus florebat uirtutib⁹: totiq; orbe, doctrinis & sciētia clarus, apud Bethlehem ciuitatē Palæstinæ situs radiabat Hieronymus. Porrò Gratianus, cum animaduertisset Thraciā, Daciāq; tanq; genitales terras possidētibus Gotthis, Triballisq;, atq; omni p̄nicie atrocioribus

rioribus Hunnis & Alanis, extremum Romano nomini periculum instare: eadem prouisione, qua quondam legerat Nerua Hispanū uirum Traianum, per quem Resp. reparata est, accitum & ipse nihilo minus æque ab Hispania Theodosium, fauētibus cunctis, apud Syrmīū purpuram induit, ætatis annū III & XXX agentem, oriētisq; & Thraciæ simul imperio præfecit. Itaq; Theodosius afflictam Remp. ira dei, reparandam credidit misericordia dei, omnē fiduciam sui ad opē CHRISTI referens: maximas illas Scythicas gentes, formidatas cunctis maioribus, & Alexandro quoq; illi magno euitatas: ac tunc extincto Romano exercitu, Romanis equis, armisq; structissimas. hoc est Alanos, Hūnos, & Gotthos incunctanter aggressus, magnis, multisq; prælijs uicit: Urbem Constantinopolim uictor intrauit. Et ne paruā ipsam Romani exercitus manū, assidue bellando deterreret: extemplo fœdus, cum Athanarico rege Gotthorū percussit. Athanaricus Constantinopolim ad Theodosium uenit: quē ille mira animi iucūditate & affectione recepit. Deniq; cum urbem Athanaricus intrasset, & tam ædificia ciuitatis q̄ exornati quasi ad diem festū populi frequentia cerneret, ac per singula mente inhæreret: cumq; deinceps imperatoris regiam ingressus, obsequia, officiaq; diuersa conspiceret, sine dubio inquit, Deus terrenus est imperator: contra quē quicumq; manus leuare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus existit. Nec mora tamē superueniente ualitudine, rebus humanis excessit. Cuius exequias imperator ipse præcedens, dignæ eū tradidit sepulturæ. Ac uersæ Gotthorū gentes, rege defuncto aspicientes uirtutē, benignitatemq; imperatoris Theodosij, Romano sese imperatori dederūt. In isdē etiā diebus, Parthi, cæteræq; Barbaræ nationes, Romano prius nomini inimicæ, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemq; supplices poposcerūt: factumq; cū eis fœdus est. Interea cum Theodosius in ciuitate subactis Barbarorum gentibus, Thracias tandē ab hostibus liberas reddidisset, & Arcadium filium suū consortem fecisset imperij: Maximus, uir quidem strēnuus & probus, atq; Augusto dignus, nisi cōtra sacramenti fidem per tyrannidem emerisset: in Britannia inuitus ab exercitu imperator creatus, in Gallia transijt. At uero Gratianus, dum exercitus negligeret, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, ueteri ac Romano militi anteferebat: adeoq; Barbarorū comitatu & propē amicitia capitur, ut nonnuncq; eodem habitu iter faceret, odia contra se militū excitauit. Maximus ergo ab infensis Gratiani legionibus exceptus, eundem subita incussione perterritū, in Italiā transire meditantē, dolis circūuentum interfecit, ætatis 1x & xx annos habentē: Fratresq; eius Valētinianū Augustū etiā expulit. Valētinianus in orientē refugiens, à Theodosio paterna pietate susceptus est. Fuit autem Gratianus literis haud mediocriter institutus. Carmē facere probatus: ornate loqui, explicare cōtrouersias Rhetorū more, nihil aliud diē, noctūq; agere, quàm spiculis meditari: summæq; uoluptatis, diuinæq; artis credere destinata ferire: parcus cibi: somniq; ac libidinis uictor: cunctisq; fuisset plenus bonis, si ad cognoscendam Reip. gerendæ scientiam animum intendisset: à qua propē alienus non modo uoluntate, sed etiam exercitio fuit.